

nota facerent; non autem ut aliorum monumenta aut ipsi exponerent, aut iis vicissim exponerentur? An non æquè divinò afflatus fuit Spiritu in scribendò ad Romanos, quàm ad Corinthios Paulus, aut hic quàm Petrus, aut alius quispiam Apostolorum aut Euangelistarum? Cur ergo hic per illum aut ille per hunc, aut etiam per se ipsum exponendus est? Sanè cuilibet S. Scripturæ loco sua constat autoritas, sua inest veritas, atque proprius sensus, qui nec ab aliò dependet, nec per alium determinari debet: nec unquam unius Apostoli scriptis aliquod interpretationis jus in alterius datum legimus. Sed largiamur, uni Scripturæ loco jus competere alium interpretandi; quâ, quæso, ratione certi esse possumus, unius loci mentem planè eandem esse, quæ alterius? quamvis enim eadem aut similia in utròque occurrant vocabula, & dicendi modi; potest tamen sensus esse diversus, vocabulaque in unò locò propriè, in aliò impropiè, aut allegoricè aut aliò quòvis modò sumi: *Non enim eadem dictio, nec eadem phrasis, ubique idem sonat, atque significat in Scripturis, sed vel diversa, vel etiam contraria, ut habet & plurimis ostendit exemplis Stapletonus, lib. 11. Controversiar. cap. 10. Unde cum Dannhawerò, in Ideâ Bon. Interpret. & Malitios. Calumniator. part. 1. sect. 3. Art. 11. § 95. statuimus, Collationem ex analogiâ proportionis meræ nudæque non esse argumentativam, sed solùm probabili ratione illustrativam, non enim sequitur loci paralleli hic sensus est: Ergò etiam hujus. Vox ita accipitur alibi: Ergò & hic. Esset enim hoc reverà argumentum à particulari. Deinde etiam sæpissimè aliquid (sunt verba ejusd. Stapletoni eòd. loc.) similiter vel dissimiliter dictum videtur, non tam ex rerum ipsarum similitudine & dissimilitudine, quàm ex affectu, & præjudicatâ sententiâ ipsorum conferentium. Sed iterum concedamus, Sacros Authores duobus aut pluribus diversis locis idem indicare atque innuere voluisse, debet necessariò loci, qui alios interpretabitur, sensus cognitus esse atque perspectus, aliàs enim munere suò fungi nequiret. At undenam ille cognoscitur? Si regeratur per alium, de hòc idem denuò inquiram, sicque continuò pergam, donec tandem ad unum, aut plures (in infinitum enim, cum Scripturâ sit finita, procedi, aut circulus sine manifestâ absurditate committi non potest) perveniatur, in quò, aut quibus pedem figamus, aut quos per alios non explicari statuamus. Horum autem sensus, cùm aliis locis interpretandis adhibeatur; ad eòque perspectus esse debeat, undenam innotuerit rursus quærere licebit; cui quæstioni nihil, nisi quòd per se notus sit, responderi posse mihi videtur: Scriptura enim in omnibus, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, capitibus à Reformatis perspicua esse atque clara asseritur, adeò ut simpliciores etiam atque rudiores Christiani eam intelligere queant secundùm illud Augustini Epistol. 3. ad Volus. *Ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis**

eis